



## **Svmma Juris Canonici**

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,  
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,  
pertinent

Ivrisdictione Ecclesiasticâ, & Iudiciis

**Strein, Johann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1658**

§. 3. De effectu sententiæ definitivæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61847](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61847)

gati diversas sententias habeant, utraque suspendatur, donec arbitrio delegantis decisio fiat. *Abb. inc. fin. eod. v. firro.*

Quod si ex compromisso arbitri duo electi non consentiant neutrius sententia valebit. *l. Diem 27. §. 1. ff. de recept. arb.*

Si plures duobus fuerint, maioris partis sententia sine hesitatione præferetur. *Angel. in Apost. ad Bartol. l. Exactores. C. de suscept. & arcar. l. 10. Corset. Singul. Universitas. & in addit. ad Abb. c. 3. num. 10. de novi op. num. Intellige dommodò omnes sint præsentis, & requisiti. l. fin. res. ff. de arb. Dec. in Reg. Qui potest. de Reg. Jur. Excipe, nisi aliter in compromisso statutum, aut conventum sit. *Tuschus Concl. 464.**

§. 3.

De effectu Sententia Definitiva.

I. **R**Ob. Maranta *Par. 6. de ord. iudiciorum pag. 244.* cum explicasset, quomodo sententia in rem iudicatum transeat, per non factam scilicet, aut desertam appellationem, subdit, tantæ auctoritatis esse sententiam, ut faciat de non ente ens, & de falso verum, & de albo nigrum secundum *l. son. in l. Iulianus. ff. de condit. indeb.* Quod intelligi debet de sententia, cuius iniustitia non est manifesta, vel notoria. Tunc enim, quia non constat de iniquitate, præsumitur pro Iudice, quod officio suo functus sit, & servato

iuris ordine pronunciarit. *Tuschus Concl. 141.*

Eodem sensu dicitur, Iustus iudicis facit aliquid licitum, quod aliàs esset illicitum. *l. Quoniam iudices. C. de appell. l. non est matrim. ff. de ritu nupt. & c. Quod quis. de Reg. Jur. in 6.* ubi à dolo excusatur, qui mandato Iudicis operatur, quia habet parere necesse, nimirum in dubio propter Iudicis sententiæ, & præcepti auctoritatem, pro quorum iustitia est indubio præsumendum. *ff. ad Trebellian. l. Servo invito. §. Cum prator v. Dymum in Reg. cit. & Pecuniam. Treutler. Disp. 23. num. 5. Carum vel. Theol. fundam. num. 688. & sequ.*

Igitur hunc effectum seu prærogativam sententiæ Ius tribuit, ut pro vera, & valida habeatur, quamdiu contrarium evidenter non constat, quicquid à parte rei sit. Atque inde ius à partibus acquisitum est, nulla videlicet appellatione interposita, vel desertâ. *c. Inter monast. 20. h. t. l. Res iudicata pro veritate habetur. ff. de Reg. Jur. aded, ut nec rescriptum principis valeat contra sententiam, quæ transivit in rem iudicatum. l. fin. C. sent. rescri. non posse. l. causas, vel lites. C. de transact. c. Exposita de arb.*

Excipe, nisi præcisè constaret de mente principis, quod velit derogare rei iudicatæ, quia potest, cum illud sit ius quæsitum de iure civili. *Tuschus l. cit. n. 65 Decius in Reg. cit. Arn. Corvinus in Aphorism. l. 3. tit. 34. Sylv. V. Sententia n. 10. Gaill. l. 2. Observ. 70.*

II. Præterea, quod assine est præcedenti,

denti, confert victori actionem in condemnatum, ut præter, in quo damnatus est. *l. Actor. C. de reb. cred.* estque civilis ea actio, descendens ex lege 12. tabularum personalis, perpetua, & rei persecutoria, hæredi, & in hæredem competens. *l. miles ult. ff. de re iud.* Reo vero post sententiam absoluto producit executionem rei iudicatæ contra actorem, eiusque hæredem, vel alium eius nomine agentem, nisi fortè nunc ab intesto conveniatur, qui antea ex testamento conveniebatur. *Oldendorp. Actione 12.* ubi etiam quærit de sententia iudicis interlocutoria, an producat actionem, & affirmat, producere tum, cum interlocutoria complectitur aliquid dignum, & cuius executionem fieri Actoris referat. *Ang. l. si quis ex argentariis. §. ex hoc edicto ff. de eden. Bart. in l. à Divo Pio ff. de re iud.*

Præterea extendit ad sententiam arbitrorum, quando quidem hodie ad similitudinem iudicii compromissum redigitur, & ad finiendas lites pertinet. *l. i. ff. de recept. arb. Alex. l. 2. Consil. 182. Card. Tuschus in lit. S. Conclus. 179. & 180.*

III. Communis regula est, quod sententia inter alios lata, tertio non præiudicat. *l. sape. ff. de re iud. c. pen. de sent. & re iud.* Et enim stricti iuris sententia est, non extendenda, nisi quo necessitas impellit. Et contra bonos mores est, damnatum sententiæ illum pati, qui non fuisset in iudicio. *Zafius in di. l. sape.* Nec factio alterius quisquam gravari debet. *ff. de Reg. iur. 74. l. si quis. §. legis. C. de in off. testam. & l. Sancimus. C. de pœnis.*

Vbi tamen Decius excipit auctorita

tem publicam, de qua realibi. Adde, quod iudicis intentio nec est, nec esse potest, præiudicare tertie personæ, nec si vellet, posset præiudicare illi, qui non est citatus. *Mynsing. Decad. §. Respons. 47. n. 12. Alexand. Consil. 48. n. 9. Vvesindec. l. 42. ff. tit. l. n. 8. Raym. Silv. v. sententia n. 8.* Non desunt tamen limitationes, de quibus in §. seq. Dub. 12. ex c. *Cum super. de sententia. & re iudicata.*

IV. Huc pertinet sententiæ firmitas, seu immutabilitas. Neque enim rescindi, vel mutari potest, ut dix. §. 2. n. 5, neque prætextu instrumentorum novè reperorum vel aliarum probationum. *c. Inter monasterium. c. suborta. hoc t. l. prætextu C. de transaction. l. sub specie. ff. de re iud.* nec propter errorem in calculo, seu computatione, nisi huius mentio in sententia facta sit. Solutum quoque auctoritate rei iudicatæ non repetitur, tanquam indebitum. *l. i. C. de condic. indeb. l. si fideiussor. §. in omnibus. ff. mandati. l. Cum putarem. ff. famil. herisc. Fachinaus l. 10. controv. iuris c. 83.*

Adde, quod sententia æquiparatur contractui, & testamento, eandemque vim, & efficaciam obtinet: ita ut de uno ad alterum arguere liceat. *l. non est mirum. ff. de pignor. 48. Ang. Aret. Consil. 75. & 136. Menoch.*

*Consil. 210. lib. 2. Tuschus  
Concl. 130.*

\* \*  
\*

§. 4. Sa.